UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

Vicarius Conventus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

Visual Library

ſine ſpeciali mandato diſpenſare in caſibus, in quibus diſpenſat Epiſcopus. Et denique Capitulum reſtringere poſſe juriſdictionem Vicarii, quandocunque ſibi libuerit. Merol *to 3. di p.7. dub. 25. à num. 252. part 6. tractat. 7. reſ 41.*

Nec à Capitulo revocari poſſit abſque juſta cauſa?

8 Verum, Capitulum ſecundum Zipæum *lib. 3 tit Ne ſede vacante, nu. 4,* non poteſt ad libitum, & abſque juſta cauſa Vicarium revocare. Et ſic aiunt, reſcripſiſſe ſacram Congregationem; quia revocare aliquem ab officio, maxima pœna eſt, *l.2 de offic procur.* Sed affirmativam ſententiam tenet Azorius *tom.2 lib. 3 cap. 38. quæſt 18.* & Galletus *M.ſſ. v Vicarius num.3.* teſtatur, ita declaraſſe ſacram Congregationem. Sed in hoc caſu teneretur Capitulum alium Vicarium intra octo dies inſtituere, aliàs jus inſtituendi devolveretur ad Metropolitanum, vel ſi ipſum ſit Metropolitanus, ad Epiſcopum antiquiorem, *part. 3 t,6 reſ 27.*

VICARIUS Cardinalis.

Quid de Vicario Cardinalis,

9 SI Cardinalis ſuo Vicario generali dederit facultatem conferendi beneficia, hic poteſt ſecundum Germonium *de Indulgen. § Tibi n 85.* illa conferre extra diœceſim. Sed Maſſobrius *praxi 26. dub. 5. nu 6* id verum putat, ſi Cardinalis reperiatur in Curia Romana, aut abſit à Curia & diœceſi cum licentia Papæ, minimè verò ſi abſit ſine licentia: quia tunc ipſe Cardinalis conferre non poſſet, & nemo dat quod non habet Canon. *Diabertum 1. q 7.* facit *c. nemo 79. de reg iur. in6 p 5. t. 2 r. 43.*

VICARIUS & Conventus.

QUANDONAM Vicarius Conventus poſſit dare facultatem reſervatorū?

10 VIcarius domus Religioſæ, abſente ſuperiore per unum diem naturalem, poteſt ſecundum Peyrinum *in priv. t.1 conſt. 4. Sixti V. § 6 num 16.* concedere facultatem abſolvendi reſervata: quia eſt abſolutus Superior, ac proinde habere debet omnia neceſſaria ad adminiſtrationem, & ſic poteſtatem ſpiritualem. Neque enim diu Religioſus in malo ſtatu detinendus eſt. Sed hæc opinio non procedit, ſi ſuperior eodem die ſit reverſurus, aut ſi ſubditus de induſtria Confeſſionem ſine cauſa diſtuliſſet ad illum diem, vel denique in ea Religione, ubi contrarium ſtatutum ſit, *p. 3 t 1. reſ. 28.*

Et Confeſſarium extra Religionem eligere.

11 Poteſt etiam ipſe Vicarius in tali caſu Confeſſarium extra Religionem eligere, ex privileg. cap *ne pro dilatione,* ut dictum eſt V *Prælati.* Minimè verò ſuperiore præſente, nam tunc non poteſt verè dici Prælatus exemptus. Contra Paſqualigum *deciſ. 103. num 2* Immò Bordonus *reſ. 34 n. 50.* nec abſente ſuperiore; tali privilegio frui eum poſſe permittit *p.6 t.8 reſ.15.*

VIDUA.

VIDUA quæ dicatur?

1† VIdua dicitur non ſolùm, quæ nupta eſſe deſiit, ſed etiam quæ numquam nupta fuit, vel maritum habet inhabilem, ita damnatum ad perpetuum carcerem. Et ſic Baldus *C ad l. ſla. de pla per quam no.* tenet, privilegiis viduæ gaudere inutiliter nuptam†. *p 11 tr 3 reſ 8.*

Et quæ habeat privilegia.

2 Inter alia viduæ privilegia illud eſt, quod poteſt convenire laicum coram iudice Eccleſiaſtico, quod etiam habet pupillus, orphanus, & omnes perſonæ miſerabiles, ex *c ſuper quibuſdam. de verb, ſignif.* Cenedus *qq. can q. 14 n 4.* & alii. ſed hoc conceditur viduæ & pupillo pauperibus, non autem divitibus *p.4 t.1 reſ 90.*

3 An ex Monialibus vidua eligi poſſit in Abbatiſſam, vide V. *Abbatiſſa.*

4 An viduæ licitum ſit delectari de copula matrimoniali præterita, Vide V *Delectatio moroſa, n. 8.*